

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM









**DIVITIARUM  
EVANGELICARUM  
FESTIVALIUM**

*Disquisitio XIII*

*PRÆSIDE*

**CHRISTIANO GUEINZIO**

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente,*

**MARTINO GERBERO**

Lichtensteinensi Misn.

*Feria Tertia Paschatos.*

*A. O. R. cl. l. c. III.*

---

**HALLIS SAXONUM.**

*Prelo Hæredum Melcbioris*

*Oelschlegell.*



DIVITIA RUM  
EVANGELICARUM  
FESTIVALIUM

Deputatio XIII

RESIDE

CHRISTIANO GUBINZIO

Gymnasia Hallensis

R. Gore

Receptor

MARTINO GERBERO

Lehrer in der Schule

zu Halle

1711

HALLIS SAXONUM

Im Druck bey

Offenbach







ANALYSIS  
EVANGELII  
IN FERIA III. PASCHATOS.

Luc. 24. à v. 36. usq. ad 48.

Περίμεινον.



Angelo Raphaële se  
manifestante, Tob. 12,  
17. Tobis duobus, quod unq  
esset de septem assistentibus  
Domino, ipsi consternati in  
faciem corruerunt proni, quibus tamen dixit:  
Ego sum, nolite timere: Equè Angelus magnè  
fœderis Jesus Christus, ubi manifestavit sese  
discipulis, ut se Deum verum ac vivū agnosce-  
rent, perterrefacti, ipsis tamen dixit: Ego sum,  
pax vobis. Uti illud ipsum uberius declaratur  
in pericope Evangelica.

Z THE.





## THESIS I.

In qua habetur tum ejus manifestatio, cujus est modi partim declaratio v. 36. In quo tum circumstantia temporis: Dum autē hæc loquerentur. *Nempè ubi redierant Emaunte discipuli duo, cæterisq; inibi congregatis exposuerant quomodo Dominus ipsis apparuisset in via, & quomodo agnitus fuisset: Id quod factum ipso resurrectionis die: 1. Mariæ Magdalena, 2. Mulieribus reliquis ad sepulcrum tendentibus, 3. Petro, 4. his duobus Emauntanis; tandem deniq; unâ congregatis. Apparitiones enim priores fuerant particulares. Voluit itaq; dum hæc loquerentur, omnibus sese manifestare. Idq; factum serâ vespërâ, velut habet Joh. 20, 19. post solis occasum.  $\psi$  quippè notat illud tempus, quod est inter occasum solis usq; ad mediam noctem; uti vox etiam  $\psi$  usurpatur Judith. 13, 1. Ut discamus semper de Christo esse loquendum.*

2. Et forma, quoad situm: stetit in medio ipsorum Jesus ipse. Nimirum Apostolorum & discipulorum congregatorum, ex improvise, miraculoso modo. Et quidem ipse: siquidem Magdalena ut hortulanus; Emaunticis ut viator apparuit; sed jam in propria sua  
 forma:



forma: ne alio ipsum corpore resurrexisse putemus, ait Cyrillus. In medio verò stetit, dum mediator inter Deum & hominem, 1. Tim. 2, 5. dum in medio nostri aliàs habitat Zach. 25. in medio candelabrorum, Apoc. 1. 12, dum promisit se velle esse in medio Matth. 18, 20. Ut discamus ubicunq; fuerimus Christum in medio esse. Sic apud Jonam in ventre ceti cap. 3, 10. apud Danielelem in spelunca leonum Dan. 6, 16.

3. Et effectus: Et dicit eis: pax vobis. Quae est formula non tantum salutationis, uti apparet ex 1. Sam. 25, 5. & 1. Paral. 13, 18. sed & precationis, ut pacem habeant praecipue spiritualem, reconciliationem cum Deo, & tranquillitatem conscientiae: quò solita hac comprecatione, perturbationem illorum sedaret, & quòd ipse sit ille ipsorum Magister, qui ita eos alloqui gaudeat, ostenderet Theoph. in cap. 24. Haec enim est illa pax, quam mundus dare non potest, Johan. 14, 27. quae omnem intellectum superat, Philip. 4, 7. in qua regnum Dei consistit, Rom. 7, 17. Ut discamus Christum precari pacem, sed suis.

4. Tum eventus denotatio v. 37. In quo effectus: Perturbati verò & conterriti facti, Ob repentinam illam & insperatam ap-



paritionem, dum Dominum vident. In medio illorum verò suo corpore stantem, pacem audiunt; ipsis verò ore precatus, nec qui ingressus intellexerunt: Ut discamus terrorem homini naturalem esse, Jerem. 27, 9.

5. Et causa: existimabant se spiritum videre. Matt. 14, 26. Marc. 6, 49. spectrū dicitur, quia modo spectri videbatur eius ingressus. Ut discamus non esse de nihilo spectra, uti colligitur ex Sapient. 17, 4. ex I. Sam. 28, 14. ex 2. Maccab. 3, 25.

6. Tum est demonstratio, cuius proponitur occasio per verba; ubi interrogatio v. 38. In quo causa: & dixit eis. Ubi videt perterritos & stupefactos, ne maneant tales: ut fidelis igitur consolator & informator non tacet, sed loquitur,

7. Et exponitur de terrore externo corporis: quid turbati estis? Merito querit, cum debuisset non turbari, sed letari. Et sanè res mira est, cum Christus Mariam Magdalenam compellat, statim agnoscitur Joh. 20, 16. Hic discipuli salutati perturbantur; & quidem non leviter, sed vehementer, uti græca vox innuit.

8. De errore interno mentis: & quare hæ cogitationes ascendunt in cordibus vestris?



vestris? In Græco reperitur vox *Διαλογισμοί*  
 quæ significat ratiocinationes ob inopinatum  
 hunc apparitionis Christi intuitum; dum cor-  
 pore vero per januas clausas ingredi ipsum non  
 potuisse, transire & apparere cogitabant,  
 adeoq; necessario spectrum sibi objectum esse  
 opinabantur. Ut discamus ex corde exire ta-  
 les ratiocinationes & cogitationes, quemadmo-  
 dum Christus ita vocat malas, Matth. 15, 19.

9. Per facta: ubi ratio, per argumen-  
 tum desumptum, tum à contrariis negati-  
 vè per visum & tactum, ubi ad sensum pro-  
 vocatio v. 39. In quo mandatum per osten-  
 sionem respectu visus, ab effectu: videte.  
 Ad visum ergò provocat, & se non spectrum  
 esse probat: neq; enim omnes simpliciter sensus  
 excluduntur in rebus fidei, quamvis hoc loco  
 cum habuerit corpus glorificatum non ex ne-  
 cessitate, sed ex liberrima voluntate sese viden-  
 dum præbuerit.

10. Ab objecto: manus meas & pe-  
 des meos. A partibus corporis integralibus  
 argumento sumpto; siquidem Christus resur-  
 rexit vero & essentiali suo corpore; idem enim  
 corporis templum, quod Iudæi destruxerunt,  
 idem erexit, Johan. 2, 19. Et quod semel as-  
 sumpsit, nunquam deposuit; novis tamen qua-



litatibus præditum fuit : unde Theophyl. in hunc locum, habet carnem sed spiritualement ac diviniorum ; subtile est per effectum spiritualis potentia, palpabile est per veritatem naturæ, ait Gregorius Magnus lib. 14. cap. 29. moralium.

11. Et ratione : quia ipse ego sum. Ne quis arbitretur esse quidem pedes & manus sed non ipsius, addit hoc, ut certi essent, non alterius, sed ipsius esse ; quia idem numero corpus resurrexit, & idem numero etiam corpus nostrum resurget.

12. Respectu tactus, ubi mandatum per simplicem effectum : palpate. Hoc est, contrectate. Et tale verbum est quod proprie de musico contactu chordarum dicitur : ut peculiarem eumque satis diligentem tactum, ne quis dubitare possit, innuat.

13. Et objectum : me. Ut doceat non alium sed semetipsum & videndum esse & tangendum. Non tantum quoad partes nempe manus & pedes, verum etiam quoad totum corpus.

14. Et per effectum geminatum : & videte. Id quod repetit, quò denotetur non simplex intuitus per transennam quasi factus, sed satis accuratus, quemadmodum usurpatur hæc

vox



vox de ancilla Pontificis Petrum aspiciente diligentissimè Luc. 22, 56.

15. Et ratiocinium respectu majoris negativè, à negatis partibus corporis: quia spiritus carnem & ossa non habet. In eo enim ipso spiritus distinguitur à corporibus. Et quamvis interdum Angelis apparuerint in assumptis corporibus, hoc tamen fecerunt ex dispensatione secundum οὐκ ἀνάγκησιν ut habet Chrysostr. hom. 87. in Johan. quemadmodum etiam Johan. 4, 24. ostenditur dum Deus spiritus vocatur.

16. Et respectu minoris affirmativè, ab adjuncto proprio corporis: sicut me videtis habentem. Spirituale tamen & subtile, alienum ab omni ineptitudine, ait Theophyl. Atq; ita locutus, ait August. serm. de temp. non solum verbis ad aures eorum, sed etiam in specio ad oculos eorum; parumq; erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atq; palpandum: corpus erat; caro erat; pependit in cruce; emisit animam; posita est caro in sepulcro; exhibuit illam vivam, qui vivebat in illa; ideoq; quando caro Christi negatur, totum pondus Christianismi negatur, habet Tertullianus libr. 3. adversus Marcionem.

Z 4

17. Et



17. Et ipsa præsentatio v. 40. In quo tempus : & hoc dicens. *Id est, cum hoc dixisset, ac ita argumentatus fuisset.*

18. Tum modus : ostendit eis manus & pedes. *Contrectandos & palpandos, ut certificaret discipulos, quod corpus, quod passum fuerat, resurrexerit, ait Cyrillus apud Thomam in catena. Ut discamus omninò verum Christi corpus adhuc dum haberi substantiale in cœna.*

19. Affirmativè, à gustu, & indirectè præmittitur ratiocinatio, cujus antecedens est cibi postulatio v. 14. In quo argumentū à causa impulsiva : adhuc autem non credentibus illis. *Ita namq̄, fieri videmus homines per improvisò & inopinate obiectum in plenarium assensum non statim pertrahi.*

20. Et à procreativa : præ gaudio. *Siquidem in subitanea letitia assensus est difficilior, quemadmodum de Jacobo, cujus filii exaltatio facta defecit, ani Gus eius, Gen. 45, 26. & David de liberatis ex captivitate Babylonica ait, quòd fuerint quasi somniantes Ps. 126, 1. Petrus ex carcere ductus putabat in visione id factum, Act. 12, 9.*

21. Et per relationem : & mirantibus. *Admiratio enim est indicium hesitationis;*



rationis, adeo quidem ut argumentum sit, etiam inscitia; & nasci solet de rebus insperatis, uti habet Augustinus libr. 1. de Gen. contra Manich. cap. 8. Interim est primus gradus ulterioris cognitionis, ait Clemens Alexan. in l. 2. *σπουδαίων*.

22. Directè subjicitur: dixit eis habetis esculentum hic. Ut probet se non spectrum, sed vero corpore presentem dominum esse. Unde Beda in hunc locum, ad insinuandam resurrectionis sue veritatem non solum tangi à discipulis, verum etiam dignatus convesci cum illis, ne arbitrarentur, eum non solidè, sed imaginaliter verbis apparere.

23. Et oblatio v. 42. In quo de preparato ex animali: Illi autem obtulerunt illi piscis assati partem. Ex cœna fortassis reliquam. Piscis autem assus est ipse Mediator, passus in aquis humani generis, captus in cruce mortis, assatus tempore passionis igne charitatis, ait glossa. Non verò quasi de solis piscibus comederit: siquidem & ante de agno paschali comedit: sed quia aderant. Aliàs jubet ne quicquid appositum manducemus, & quicquid in macello venditur eo vescamur I. Corinth.



*rinth. 10, 25. manducandum & vescendum.*  
*Act. 10, 13.*

24. De naturali : & de favo. *Sen de melle, in cellulis adhuc latente : per quod humanitas in divinitate intelligitur, uti habet glossa. Et illi favum apiarium offerunt, qui per membra sua opera pietatis exhibent.*

25. Consequens est manducatio v. 43. *In quo modus: & sumens coram eis. Hoc est, ut illi viderent ipsum revera sumere, uti etiam Joh. 21, 9.*

26. Et effectus: edit. *Non quidem ex necessitate natura, sed ex dispensatione & propria voluntate, ut resurrectionis veritatem confirmaret cum edere maximum vite argumentum sit, Luc 8, 55. & Act. 10, 41. August. habet ser. 147. quod manducavit Jesus, id potestatis fuit, non egestatis, si desideraret manducare, egeret, rursus, si manducare non posset, minus valeret. Manducavit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, nec quasi nos in resurrectione cibis egeremus, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret, ait Beda in hunc locum. Et sicut supernaturaliter comedit, verè tamen; ita supernaturaliter, quæ comederat, digessit, habet Euthym. Ergo non omnis vera manducatio statim est naturalis,*

*cum*



*cum supernaturalis etiam vera sit, uti Angeli  
in mensa Abrahae etiam verè comederunt &  
biberunt, Gen. 18, 8.*

27. Per testimonium tum scripturae,  
de quo in genere, cuius explicatio v. 44. In  
quo summarim: & dixit eis: hi sunt sermo-  
nes, quos locutus sum ad vos, adhuc exi-  
stens vobiscum. *Concio nimirum de passione,  
morte & resurrectione in statu adhuc exina-  
nitionis in carne mortali. Atq; ita ab oculis &  
manibus ad scripturam discipulos deducit, si-  
mulq; quamvis adesset verè, tamen cum vo-  
biscum essem, addit; quia alio modo erat in  
statu scilicet exaltationis in corpore glorificato:  
in eadem quidem carne, at non in eadem mor-  
talitate, ait Beda. Ut discamus distinguere  
modos praesentiae.*

28. Explicatim, quoad propositionem inde-  
terminatè: quoniam oportet impleri omnia.  
*Non quidem ex necessitate absoluta, sed hypo-  
thetica seu consequentia. Ut discamus divina  
oracula esse certissima, & omnia uti impleta,  
ita certo implenda, si quae restant.*

29. Determinatè quoad historica scri-  
pta singulariter: tum in lege Moysis. *In qua  
multa habentur de Christo, de semine benedi-  
cto, Gen. 3, 15, de semine Abrahae, Gen. 18, 18.  
de cer-*



de circumcissione Gen. 17, 10. de agno paschali, Exod. 12, 3. de manna Exod. 16, 14. de petra, Num. 20, 11. de serpente aneo Num. 21, 9. quae omnia de Christo intelligenda.

30. Pluraliter: & in Prophetis. Quorum scopus de Christo venturo nunciare: nimirum de matre, Esa. 7, 14. Jer. 31, 22. de familia, 2. Sam. 7, 16. Jer. 23, 15. de patria, Mich. 5, 2. generationis, educationis, Esa. 11, 1. de Johanne prodromo, Esa. 40, 3. Malach. 3, 1. de miraculis, Esa. 35, 3. de paupertate, Zach. 9, 9. de venditione, Zach. 11, 12. de desertione, Zach. 23, 7. de flagellatione, Esa. 50, 6. de crucifixione, Esa. 53, 12. de morte, Dan. 9, 26. de sepultura, Esa. 53, 9. de resurrectione & victoria, Os. 6, 2. de sessione ad dextram, Mich. 2, 13. omnes enim propheta à Samuele, & illi, qui deinde secuti sunt, talia annunciarunt. Act. 3, 14.

31. Quoad hagiographa: & psalmis de me. Eius divinitatem enim habet, Psal. 2, 4. eius rejectionem, Psal. 118, 22. proditionem, Psal. 41, 10. illusionem, Psal. 22, 7. potationem per acetum & fel, Psal. 69, 22. sepulturam, Psal. 16, 19. ascensionem ad caelum, Psal. 86, 19. Ut discamus scripturam canonicam esse exquisitam trutinam, normam & regulam fidei.

32. In specie est effectus, discipulorū illu-



illuminatio v. 45. In quo ab effectu interno:  
 tunc aperuit ipsorum sensum, ad intelli-  
 gendum scripturas. *Peculiari Moysis, Prophe-*  
*tarum & psalmorum interpretatione, oculos il-*  
*lis initio illuminatos dedit, ut scripturas istas*  
*intelligerent. quippe illi sensum gravem habe-*  
*bant, & tardi erant, Luc. 24, 25. Ut discamus*  
*optimum scripturae interpretem esse Christum:*  
*nec enim scripturae sunt in legendo, sed in in-*  
*telligendo, ait Hilar. l. ad Constant. Aug.*

33. Et externo: & dixit eis: *Quasi*  
*concludendo de omnibus antecedentibus.*

34. Et fine, respectu Christi impetratio  
 v. 46. In quo de statu exinanitionis: quoni-  
 am sic oportebat pati Christum. *Ex necessi-*  
*tate hypothetica, ratione predictionis & ordi-*  
*nis, quemadmodum etiam omnia sunt facta,*  
*uti constat ex Evangelistis.*

35. Et ratione status exaltationis: &  
 resurgere à mortuis tertia die. *Prout itidem*  
*omnia accuratissimè sunt adimpleta, ut ne qui-*  
*dem minimum aliter evenerit.*

36. Respectu generis humani deno-  
 tatio v. 47. in quo fructus, qui continet mo-  
 dum in genere: & prædicare in nomine  
 ejus. *Idem est effectus totius operis redemptio-*  
*nis, dum Christus mandavit, Joh. 3, 43. dum*  
 sic



fit in fiducia meriti Christi, Joh. 14, 13. dum  
fit virtute Christi, Marc. 16, 17. dum fit loco  
Christi, 1. Cor. 5, 4.

37. In specie, objectum: pœnitentiam  
& remissionem peccatorum. *Vt desinant à  
malis, & salvos se esse credant.*

38. Et subjectum: in omnes gentes,  
in universo mundo Joh. 1, 19. Rom. 10, 8.

39. Et locus: incipiendo ab Hieroso-  
lymis. Ita enim prædixerat David, Psal. 110, 2.  
Esa. 2, 3. c. 49, 6. primùm quidem Judæis: unde  
mandatum est temporale, Matt. 10, 5. sed post-  
modùm universale Matth. 28, 19. Marc. 16, 46.

40. Et personæ, est Apostolorum te-  
stificatio v. 48. In quo subjectum: Vos. Ni-  
mirum Apostoli, quos alloquitur, quibus etiam  
injunxit ut in universum mundum abirent.

41. Prædicatum: estis testes horum.  
*Uti dictorum, ita factorum, quemadmodum  
etiam præstiterunt, Act. 16, 46. Ita ergò &  
revera viderunt ipsum resurrexisse, simulq;  
adimplesse omnia. Paulus ipse ab Hierosoly-  
mis ad Illyricum usq; omnia Evangelio reple-  
vit, Rom. 15, 19. Ut discamus Apostolatus offi-  
cium, quo jussi abire in universum mundum,  
esse adimpletum, Marc. 16, 20. & propterea de  
fecisse cum Apostolis, Ger. de minist. n. 219.*

NO-



I.

**S** Tetit Iesus in medio discipulorum )  
 Considera Iesum venire ubi discipuli eius  
 congregati, & pacem precari; ut discas alibi  
 pacem eius nullam esse.

II.

**T**urbati quod putarent spiritum ) Con-  
 sidera discipulos ex timore venisse in no-  
 titiam; ut discas timorem Domini esse initiū  
 sapientie.

III.

**C**Um adhuc non crederent comedit )  
 Considera humilitatem dum dignatus  
 cibum sumere ut confirmaret; ut discas hu-  
 militer conversari, si vis miseros convertere.

C A S U S.

An singularis testis sufficiat?

**V**idetur: 1. Quia si omni exceptione  
 major eius auctoritas sufficit Farin.  
 l. 2. tit. 6. q. 63. n. 17. ) 8. & seqq.

2. Quia si unus vel duo testes ad sum-  
 mum deponant sufficit Rauchbar. par. 2.  
 q. 5. n. 6.

Non videtur: 1. Quia ipsa scriptura in-  
 quit,





quit, in ore duorum aut trium consistit  
omne verum, Deut. 17, 6. 19, 15.

2. Inde Christus non uni, sed multis su-  
am resurrectionem manifestavit. & semel  
plus quam quingentis fratribus 1. Cor. 15, 6.

3. Etiam mille testes singulares non plus  
probant quam unus c. bone memorie  
23. c. cum dilectis 32. X. de electione.  
c. licet causam 9. X. de probat. Reub.  
de testibus part. 23. n. 160. Bald. l. ju-  
risjur. q. C. de testibus, n. 9. Boër. de-  
cis, 23. n. 45.

*Ad contraria*: Petitio princ. nisi de  
facto proprio Salicet. in l. si quis decu-  
rio C. ad leg. Cornel. de falsis. Mascari,  
de probat. vol. 2. in pref. q. 11. n. 15. So-  
cin. lib. 1. conf. 61. n. 8. ita tamen ut  
adminicula & presumptiones accedant  
Carpz. in for. ad Const. Elect. 16. p. 1.  
def. 19.

*Ad 2 fall.* secundum quid, in confes-  
sione de certo loco & tempore facta Rauch-  
bar. part. 2. q. 5. n. 6. Carpz. lib. 3. t. 7. 2.  
66. n. 9. si nulla singularitas inest obstati-  
ve Mascard. de probat. l. 2. concl. 988.





**I**n rebus fidei sit vel coriarius, aptus:

Dum nec personas respicit ipse Deus.

Hinc stetit in medio loquerentur talia quando

Discipuli; vobis pax, ait, esto, meis.

Obstupuere, timor totos simul obtudit artus,

Rebantur modo quod Spiritus ipse foret.

Ast is dixit iis: cur vos pavor occupat iste?

Vestraque quamobrem pectora tale putant?

Quaeso videte manusque, pedesque; nec ossa, nec  
ora

Spiritus nullus habet; cernitis esse mihi.

Ipsus ego sum: se monstrat repetitque subinde:

Quaeso videte manus! quaeso videte pedes!

Gaudia sed prohibent, mirantes credere non-  
dum

Id poterant: partem postulat ergo cibi.

Assati partem prebebant piscis & una

Quod dabat hora, dabant dulcia frustra  
favi.

Accipit, ac illis coram quoque vescitur: esca

Portio mellis erat, portio piscis erat.

Dixit: id est ego quod dixi: complenda fuere

Quae Moses, vates, quae cecinere prius.

His aperit mentes, caperent ut mystica sacra

Scriptura: post & talia dixit eis.

Nonne




Nonne pati Christum sic proorsus oportuit?  
Ipsum

Et terna rursus surgere nonne die?  
Pœnituisse iubet simul ejus nomen in omnes  
Gentes, à Solymis incipit illud opus.  
Vos testes eritis cunctarum, postulo, rerum  
Et testes eritis, qua patet omne solum.  
Sic etiam nostros patienti pectore lapsus  
Usq; ferat, donec crescat & ipsa fides.  
Talia GERBERUS repetit: Coniarius equè  
Aptus, si Christum pergit, & alter erit.

uti testatur

Præses

GUEINZIUS.



**M**el sancti quoq; Spiritus reponit,  
Mellitus generis mali Redem-  
ptor,

Ponenti, comedat, mel, ut, catervæ.  
Hoc Evangelii pium saporis  
Quod GERBERE colis mel, ecce votū:  
Mel sancti tibi Spiritus reponat  
Mellitus generis mali Redemptor.

apposuit

Christophorus  
Vogel.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017



EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C



Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



IVITIARUM  
GELICARUM  
STIVALIUM  
*Disquisitio XIII*  
PRÆSIDE  
IANO GUEINZIO  
mnasii Hallensis  
Rectore  
*Respondente*  
TINO GERBERO  
htensteinensi Misn.  
*z Tertia Paschatos.*  
A. O. R. cl. l. c. III.  
ALLIS SAXONUM.  
*Hereditum Melchioris*  
Oelschlegell.

